



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Habitus religionis ante decimumquartum annum susceptus, quomodo
licite potest relinqu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI
1179. bito consensu carissimi in Christo filii nostri Henrici illu-
stris Anglorum regis, arctius compellatis: aut si receptas
detinuerint aut parochias amodo receperint, ipsos cum
omni distictione cogatis, ut ecclesiis, quarum eadem pa-
rochiae sunt, debitos & collectos redditus cum integritate
persoluant, prohibentes omnibus Dei fidelibus sub inter-
minatione anathematis, ne quis Iudaeis hominia vel fideli-
tates faciat: quoniam contrarium est sacris Canonibus, ut
Christiani debeat Iudaeis adstringi. Si quis vero contra in-
hibitionem nostram venire presumferit, contradictione
& appellatione cessante, in eos excommunicationis sen-
tentiam proferatis.

C A P. IV. *Idem.*

Ad haec cum sacris Canonibus cautum sit, ne Iudei Chri-
stiana mancipia habeant, praesentium tibi auctoritate præ-
cipimus, quatenus sublato appellationis remedio anathe-
matis interminatione iubeas publice, ne quis Christianorum
alicuius Iudei mancipium efficiatur. Si quis autem
contra prohibitionem tuam venire presumferit, * eos
sublato appellationis remedio, ecclesiastica censura com-
pellas.

DE MONACHIS ET MONIALIBVS PARS XXI.
SINE PROBATIONE SVSCEPTIS.

Item in probatione positis, recedere
volentibus.

C A P. I.

Ad audientiam nostram noueris peruenisse, quod ere-
mitæ de monte Filiano quosdam pueros infra deci-
mum quartum annum in tantum seduxerint, quod qui-
dam illorum, suasionibus eorum assensum præbentes, ad
ecclesiam illorum accesserunt. Quos cum statim religionis
habitum induissent, unus prædictorum puerorum T. no-
mine, statim pœnitens quod habitum ipsum suscepisset, id
quod fecerat, suis parentibus intimauit: qui ad locum
ipsum, mora postposita, accedentes, cum exinde extra-
ixerunt: & cum stetisset ibi, nisi per vnam noctem prout
acepimus, præfati eremitæ & quidam alii eum non per-

Dist. 18.
De his.

mittunt quamdam puellam ducere in vxorem, quam ipse
iurauit in vxorem accipere, ac (sicut dicitur) despousauit.
Quocirca discretioni tuæ, &c. quatenus rei veritate dili-
genter inquisita & cognita, si tibi constiterit, quod præfatus
T. ante consummationē decimi quarti anni habitum ipsum
susceptum deposituerit, aut si post decimumquartum an-
num habitum ipsum sine probatione suscepere, & infra
triduum deposituerit; eum ab impetitione prædictorum e-
remitarum vel aliorum in hac parte, occasione & excusa-
tione & appellatione cessante, penitus absolutum, & eam
quam iurauit accipere in vxorem, libere posse traducere,
si alia rationabilis causa non impedit, denunties.

C A P. II. *Idem Herefordensi episcopo.*

Super eo quod quæsumus erat a nobis ex parte tua, v-
trum sacerdotes qui religionis habitum suscepereunt, & an-
tequam essent vinculo professionis adstricti, ad priorem
statum reuersi sunt, permittendi sint ecclesias & curam ani-

Accipe hæc
deisquire-
ligionis vo-
tum nuncu-
parunt.

marum habere: & an clerici, si monachicum habitum an-
te oblatum professionis libellum deferunt, ad sacros ordi-
nes promoueri, & ad gubernationem animarum possunt
assumi: sanctitati tuæ taliter respondemus, quod si austeri-
tatem religionis, ad quam * transisse noscuntur, seruare * ^{migra}
noluerint, ad minorem religionem transfire cogendi sunt,
nec amplius in ecclesiis sacerularibus debent assumi, ne con-
tra votum quod Domino fecerunt, in animarum suarum
periculum probentur venire. Verumtamen si ante suscep-
tum habitum in probatione positi, recedere voluerint,
secundum regulam beati Benedicti non videntur prohibe-
ri ad priorem statum redire. Sed illa videtur præcipere,
vt in eadem veste redeant in qua venerunt.

C A P. III.

Meminimus nos ex parte tua huiusmodi quæstionem au-
diuisse, scilicet vtrum illi qui se ad religionem coram epi-
scopo deuouerunt transituros, & habitum religionis susci-
piunt, si & postmodum uxores duxerint, cogendi sunt eas
dimittere, & ad ecclesiam, cui se contulerant, redire. Su-
per quo vtique * dicimus respondendo, quod si quispiam * ^{damus}
qui se religioni deuouit, & habitu suscepto professionem <sup>recep-
tu, quod</sup>
fecit,

Nam in lai-
cali veste
probantur.